



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Disputatio LXX. Vtrùm hæc sit vera Christus est creatura? S. Thom. q. 16.  
art. 8.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

supposito. Hanc distinctionem S. Thomas vocat distinctionem rationis: vt patet ex exemplis ab eodem adductis.

SECTIO IX.

*Vtrum hæc sit vera: Deus factus est homo? art. 6.*

§. 55. **C**onclusio affirmatiua de fide. Ioan. 1. Et Verbum caro factum est. Item Paulus: Misit Deus filium suum factum ex muliere. & in Symbolo Niceno: Et homo factus est. Aduerte, Deum fieri hominem non esse fieri simpliciter, sed tantum fieri secundum quid, scilicet vni humanitati; per quæ constituitur homo: sicut Franciscum fieri album nihil est, quam vni albedini.

SECTIO X.

*Vtrum hæc sit vera: Homo factus est Deus? art. 7.*

§. 56. **P**rima conclusio. In hoc sensu, Factum est vt homo sit Deus, & Deus sit homo: hæc propositio est vera, Homo factus est Deus. In quo sensu explicat S. Thomas Aug. vntem ea propositione.

§. 57. Secunda conclusio: Si particula factum sit participium determinans subiectum, vel prædicatum, propositio est falsa: quia neque Deus, neque homo ille, qui est Deus, est factus, sed genitus ab æterno.

§. 58. Tertia conclusio: Si detetmet effectiorem humanitatis cum respectu ad Deum illam terminantis, propositio est falsa: quia ille homo est Deus, qui non est factus, nec potuit ad Deum terminari effectio illius.

§. 59. Aduerte, hominem in ea propositione sumi posse vel pro diuino supposito in concreto: quia certissimum est non esse factum Deum; sed esse peressentiam Deum independentem ab omni causa, quamuis procedentem à principio gignente illum. Vel potest vox illa significare purum hominem: quia factus est Deus; sicut purus Deus factus est homo. In quo sensu est falsa: quia nullum suppositum creatum est vnium diuinæ naturæ, neque alicui prædicato illius. atque hic sensus videtur esse magis proprius in hac quæstione. Vnde absolute est neganda hæc propositio: Homo factus est Deus: tum quia Deus non est factus Deus: ergo nec homo supponens pro Deo, factus est Deus. Nullus item purus homo vnitus est naturæ diuinæ: ergo homo non est factus Deus. Qua de re consule P. Ragulam disp. 122.

DISPUTATIO LXX.

*Vtrum hæc sit vera: Christus est creatura?*

S. Thom. quæst. 16. art. 8.

SECTIO I. De sententia affirmante.

SECTIO III. Quid de quæstione.

SECTIO II. De sententia negante.

§. 1. **C**onclusio B. Thomæ est, negandam esse hanc propositionem absolute: quoniam Arriani ea abutebantur ad negandam Christi diuinitatem; cum hæreticis autem nihil nec verbo nobis debet esse commune. Ex qua S. Thomæ ratione videtur colligi, ab ipso sentiri re ipsa propositionem esse simpliciter veram.

§. 2. Hæc quæstio magna ex parte est de nomine: constat enim de re apud Catholicos omnes, Christum ratione personæ & diuinitatis esse creatorem, & non creaturam; humanitatem verò esse creaturam, & non creatricem. Referam autem diuersas opiniones. & Primò verum est quod ait P. Suarez in commentario Christum non posse dici creaturam, vt creatio sumitur pro productione totius entis ex nihilo; cuius omnes partes sunt creatæ, & annihilabiles: nam Christus includit suppositum, quod quia diuinum, neque creati potest, neque destrui: omnes autem puræ creaturæ sunt factæ secundum se totas, vel proximè, vt in prima rerum molitione; vel remore, vt modò gignitur homo ex materia in exordio mundi producta. Secundò, sentio oportere cautè vti ea propositione: quia D. Thomas alijque graues Doctores in eam offendunt; quam ob rem communiter dicitur Christus non esse pura creatura. item esse creatura ratione humanitatis. quibus verbis significatur contra Arrium in Christo esse aliquid diuinum, & creatum.

SECTIO I.

*De sententia affirmante.*

§. 3. **P**rima sententia est, re ipsa secluso periculo ineptè aberrandi propositione esse veram. ita colligitur ex B. Thom. vt insinuauit §. 1. & vt docet P. Suarez in comment. est sententia P. Vasquez disp. 65. c. 2. & 3. qui eruditè probat ex Bonauent. Scoto, Gabriele, & alijs Scholasticis: item auctoritate Patrum, à quibus super se deo, ne aliena rapiam. Probatur Primò: quia non est minùs inconueniēs

Christum mori, quàm esse creaturam: sed Christum & Deum mori est de fide: ergo sine incommodo Christus & Deus dicitur creatura. Probatur Maior. ratione diuinitatis tam repugnat Deum mori, quàm esse creaturam: at ratione humanitatis æqualiter conuenit illi esse creaturam, & mori: nam sicut suppositum denominatur moriens à morte humanitatis; cur non vocabitur factum, & à Deo dependens, à dependentia humanitatis? & vt dicitur in sermone Concilij Ephesini, abiecta dicitur de Deo sine iniuria diuinitatis: quia non dicitur de eo ratione illius; sed ratione humanitatis. Confirmatur. quia prædicata, quæ realiter conueniunt

S. Thom.  
2. 16. a. 8.

niant humanitati, æqualiter tribuuntur supposito, siue sint actiua, siue passiuæ; vt Deus dicitur comedere, & dolere: cum ergo hoc prædicatum *dependens* realiter insit humanitati, cur non tribuetur supposito, sicut cætera tribuuntur?

§. 4. Secundò probatur: quia Christus Ioan. 14. de se dixit, *Pater maior me est*: ergo potest dici absolute, Christus est minor Patre: nihil enim potest esse maius alio, quin terminus illius relationis sit minor: sed quod re ipsa existit, & est minus Deo, est creatura: ergo Christus absolute est creatura, sicut absolute est minor Patre. Minor est certa: quod enim est Deus à parte rei, non est minus Deo: quoniam à parte rei est Deus idem, vt in Concilio Remensi rectè probauit Bernard. contra Gilbertum Porretanum, quod approbavit Concilium. Vnde August. exponens eum locum contra Arrianos, recurrit ad definitionem naturarum, vt ratione diuinæ Christus sit æqualis Patri, ratione verò humanæ sit minor.

§. 5. Tertio: quia omnia prædicata, quæ dicuntur de Deo per idiomatum cõmunicationem, videntur inferre per euidentem consequentiam Christum esse creaturam: quid ergo refert id dicere manifestè? Probo antecedens, tum ex testimonio Christi iam adducto; tum quia mori non potest, nisi creatura: Deus enim est immortalis, qua ratione est Deus: cum ergo de Christo dicatur esse mortuum, rectè inferitur Christum esse creaturam.

§. 6. Quarto argumentatur P. Vasqu. quia Christus, in quantum homo, est creatura: ergo absolute est creatura. Antecedens videtur non posse negari. Consequentia probatur: quoniam illa reduplicatio tantum significat rationem formalem, propter quam Christo conuenit esse creaturam: ergo habet rationem, ob quam est creatura: ergo ab illa denominatione absolute creatura, vt si quis dicat subiectum, quatenus album, disgregare visum, significat subiectum disgregare visum ratione albedinis, vnde rectè inferet subiectum disgregare visum. Tandem arguo: Maria dicitur ab Ecclesia genuisse Deum & hominem; non quidem generatione æterna, sed temporaria, cuius terminus formalis est creatura: ergo Deus ab illa generatione est creatura producta à Maria. Probo consequentiam: quia quod accipit denominationem termini talis productionis: sed terminus productionis temporariæ est dependens à Deo, & est creatura: ergo Christus est creatura.

## SECTIO II.

### *De sententia negante.*

§. 7. **S**ecunda sententia negat Christum esse dicendum absolute & simpliciter creaturam: quæ est plurimum Doctorum, quos refert P. Vasqu. supra c. 1. & sequitur P. Ragusa disp. 123. vers. *Dicendum est*. Medina ait se eam ostendere quatuor demonstrationibus. Prima est: quia omnis creatura aliquando non fuit: sed Christus semper fuit: ergo Christus non est creatura. Hoc argumentum sic retorquetur: Quod mortuum est, aliquando desijt esse: sed Christus numquam desijt: ergo Christus numquam fuit mortuus, quod est hæresis. Distinguo ergo Maiorem: creatura aliquando non fuit sub ea ratione, secundum quam est vel dicitur creatura,

concedo Maiorem; secundum aliam rationem, quam habet, cui repugnat esse creaturam, nego Maiorem. item distinguo Minorem. Christus semper fuit persona diuina, & Deus, concedo Minorem; semper fuit homo, nego Minorem; cum consequentia, quæ à sensu reduplicatiuo humanitatis inferitur ad sensum materiam personæ.

§. 8. Secunda ratio Medinæ est: quia omnis creatura incepit esse: Christus non incepit esse: ergo. Hæc ratio solis vocibus distinguitur à priori, eodemque modo retorquetur ac diluitur.

§. 9. Tertia est huiusmodi: quia ait creaturæ non repugnare negatione præcedentis esse; repugnare autè Christo. Respond. repugnare Christo, secundum quod est Deus, non secundum quod est homo.

§. 10. Quarta est: quia sequitur Verbum esse creaturam, quod est Arrianum. Respond. Verbum secundum se non esse creaturam: sed sapientiam increatam, per quam omnia facta sunt, & sine qua factum est nihil: quod negabat Arrius: at verò Verbum diuinum vt denominatur homo, per idiomatum cõmunicationem est creatura, sicut est homo, & sicut est verum dicere, Verbum Dei mortuum est ratione humanitatis, quod argumentum retorqueri potest: quia quod moritur est creatura: Verbum Dei fuit mortuum: ergo Verbum Dei est creatura.

§. 11. Quintò possumus argumentari: quia Christus ex parte subiecti supponit materialiter pro supposito, vt ego argumentatus sum contra Durandum supra: sed suppositum dici non potest creatura: ergo nec Christus. Respondeo idem argumentum posse fieri contra alia idiomata conuenientia Christo ab humanitate, vt, Christus supponitur pro supposito: sed suppositum diuinum mori non potest: ergo nec Christus. Hinc soluitur, quod alij afferunt creari esse suppositorum, partium autem concreari: ob idque putant Christum non creari. Contra: generari & corrumpi, mori & pati, sunt suppositorum, vt patet; & tamen Christus genitus est à Maria, & occisus à Iudeis: ergo eadè ratione potuit esse creatura; vel si non potuit: ergo nec mori, nec pati: vide §. 20. Respondeo Secundò, quantum ad rem prædicatam non supponi Christum in subiecto, nisi in quantum re ipsa est Verbum vnitum humanitati: quoniam ea ratione à parte rei est homo, & habet identitatem realem cum prædicato; at verò quantum admodum prædicandi præscinditur ab humanitate ne propositio sit identica, & stulta: & quemadmodum dicitur Christus mori, sic posset accipi illa propositio, *Christus est creatura*: quia reddit hunc sensum, suppositum diuinum, quod est vnitum humanitati, ratione illius dicitur creatura, & mori.

§. 12. Tertio respondeo, esse nonnulla prædicata, quæ non possunt supponere alia in subiecto: quoniam ipsa sunt prima. quando hæc prædicantur de subiecto, non supponunt ex parte illius se ipsa in modo prædicandi: alioquin conficerent propositionem identicam; vt, *Petrus est albus*: albedo est prima qualitas, seu prædicatum Petri in suo genere. at verò sunt alia prædicata, quæ quia essentialiter enascuntur à primis, supponunt prima in suo subiecto: verbi gr. *Petrus disgregat visum*: iste effectus oritur essentialiter ex albedine, vt ex ratione formali; nec potest intelligi oriri à Petro, nisi per albedinè. in huiusmodi propositionibus subiectum supponitur non solum materialiter, sed etiam cum illa ratione formali, ex qua oritur effectus. quam ob

ob rem dialecticum effluxit adagium, *Subiecta aliquid quando à prædicatis determinari*, scilicet prædicata esse in causa, vt subiecta determinentur ad aliquam speciem qualitatis: vt in illa propositione, *Petrus disgregat visum*.

§. 13. Quia verò natura humana Christi, quæ primò vnitur Verbo diuino, ideo quando in concreto prædicatur de Deo, Deus abstrahitur in modo subiiciendi ab eadem humanitate, ne fiat identica propositio: quando verò dicitur Deus mori, aut esse creatura, quoniã ista sunt prædicata essentialiter dependentia ab humanitate, ideo determinant humanitatem ex parte subiecti: imò ipsa vox *Christus* id significat aperte, cum significet personam diuinam & humanam subsistentem in vtraque natura: quare in Concilio Francfordiensi dicitur eam vocem esse vocem naturæ.

§. 14. Sextò possumus argumentari, quia esse creaturam, est essentialiter humanitati: quia effectus est incommunicabilis alteri: nam materia non dicitur creatura à forma, quemadmodum nec dicitur ens. Ratio à priori, cur iste effectus non communicetur nisi per identitatem, est, quia esse creaturam est esse ens ab alio: & quemadmodum esse ens est incommunicabile alteri, ita & esse ens ab alio. Respondeo, creaturam sumi posse quidditatiuè: in qua significatione argumentum euincit intentum. sumi etiam solet pro denominatione, quam accipit à productione, qua pendet à Deo: sic autem est effectus communicabilis supposito, cui tribuuntur actiones naturæ; vt *Christus genitus est à Maria*: imò est non solum Christi genitrix, sed etiam Dei genitrix.

§. 15. Sed contrà Primò: nam iste effectus formalis non communicatur materiæ à forma: non enim dicitur genita à generatione formæ: ergo nec suppositio potest communicari. Respondetur negando consequentiam: quia forma materiæ solum communicat seipsam, & tribuit effectus ab ipsa ortos, non verò qui oriuntur ab alijs: non enim dicitur discurrere, neque operari vitaliter: at verò supposito omnes actiones & passiones tribuuntur; quia est complementum substantiale naturæ: vnde *Christus & Deus genitus est à Maria*.

§. 16. Sed contrà Secundò: nam licet supposito tribuantur actiones naturæ; ista tamen actio & passio qua producitur natura, illi adscribi non potest: quia solum ei adscribuntur, quæ sunt illo posteriores; at verò productio naturæ est prior supposito naturali. Quapropter disp. 11. Metaph. contra Caietanum ostendi existentiam rei esse priorem, quam eiusdem rei suppositum: hoc autem esse posterius, quam naturam ipsam: ergo ista productio ex suo conceptu non potest adscribi supposito: ergo neque supposito diuino. Patet consequentia: nam prius natura quam humanitas supposito copuletur, iam intelligitur esse producta: ergo diuinum suppositum non est principium passiuum illius productionis passiuæ: ergo non denominatur ab illa passiuè productum, atque dependens: ac proinde neque creatura. Patet consequentia ex dictis: quia soli adscribuntur supposito actiones illæ, quarum ipsum est principium.

§. 17. Quòd si obijcias inde sequi, Deum non esse risibilem, intellectiuum, &c. neganda est consequentia: quia istæ proprietates sunt posteriores naturæ vnione hypostatica, ac proinde ab illa dependent, & possunt supposito adscribi; secus verò

productio humanitatis. Si obijcias iterum, suppositum creatum esse natura posterius, quam humanitatem, quia pendet ab illa; diuinum autem non dependere, ac proinde nihil valere consequentiam; Respondeo, humanitatem, quamuis non sit prior natura, quam suppositum; esse tamen naturam priorem vnione hypostatica: Verbum autem non intelligitur esse principium operatum humanitatis in ratione suppositi, nisi per vnionem hypostaticam: ergo Verbum diuinum posterius natura terminat humanitatem, quam ipsa humanitas producat. Confirmatur hæc doctrina: quia Verbum diuinum denominat humanitatem sanctam, & Christum vt hominem filium Dei; & tamen neque humanitatem, neque Christum vt hominem denominat ens à se: quia ista denominatio non communicatur nisi per identitatem: quia est conceptus secutus ad rationem entis præcisè, & non ab alijs conceptibus magis specificis.

§. 18. Hoc argumentum est verosimilius: quid autem diceret quòd Christus est genitus; item & Deus per idioma? quia terminant generationem Marianam, quæ iam supponit vnionem hypostaticam: ergo Christus est factus à Maria, item Deus per idioma: quia creatura generans terminum, illum facit: est enim phrasal Scripturæ, *Animas, quas fecerant in Aræ*, id est, homines, quos genuerunt. absolute ergo Maria genuit Christum, & Deum, cuius est mater: ergo Christus est creatura: quia terminat eam actione; & Deus per idioma vt est mortalis, est creatura.

## SECTIO III.

## Quid de questione?

§. 19. Dico Primò: Absolute, & sine addito, non est dicendum, *Christus est creatura*. Ratio vnica est, ne detur errandi occasio, & ne quis existimet, Christum esse solum hominem, vt voluit Arius: at dici debet, *Christus non est pura creatura*; vbi significatur & in illo esse conceptum creaturæ, & creatoris. sicut non debet dici purus Deus: est enim Deus, & creatura; id est, vna persona diuina subsistens in duabus naturis; altera creata, altera increata: à quibus accipit varia prædicata, quorum quædam significant naturam increatam, quædam verò creatam.

§. 20. Dico tamen Secundò, Christum posse dici absolute & simpliciter creaturam à productione vnionis. Probatum Primò: quia supposito tribuuntur denominationes actionum & passionum, quarum est aliquo modo causa: sed Christus est causa productionis vnionis: ergo ab illa denominatur. Maior supponitur ex tota hac materia. Minor patet: quia Christus ratione suppositi terminat vnionem, quia ab illo essentialiter pendet, tamquam à termino. Secundò probatur: quia in humanis non dicitur humanitas generari, sed homo; licet non generetur nisi vnio humanitatis, ex qua resultat integrum suppositum: ergo similiter à productione vnionis hypostaticæ denominatur produci homo, & non humanitas: eaque ratione B. Virgo dicitur *theotocos*, scilicet *mater Dei*: licet enim nihil generetur præter vnionem, sufficit vt ratione illius generetur Deus homo.

§. 21. Argumenta pro prima sententia docent secundam conclusionem, & quantum ad rem Christum esse creaturam: at non probant non esse vtendum cautè ea voce, item docent secundam conclusionem.

DISP V.